
Q. D. B. V.

OBSERVATIONES SELECTIORES ET MONITA CIRCA IVS NATVRAE

PRAESCIENTE
AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBIICIT
PRAESIDE
M. SIGISMVNDO IACOBO APINO
ALVMN. NORIC. ET OECON. INSPECTORE
RESPONSVRVS AVTOR
ELIAS GOTTLIEB DIETERICH
VLMA - SVEVVS
PHILOSOPHIAE ET THEOL. STVDIOSVS.

AD D. IX. DECEMBRIS A. O. R. clɔ Iɔcc xx.

ALTORPHII NORIC.
TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.



Q. D. B. V.

PRAEFAMEN.

MUltum utique intereſt in veritate inveſtiganda, immo dimidium viæ emenſus merito ille cenſetur, qui errores, quibus in transverſum abripi & a tramite, rectà ad metam nos conducente, averti poſſumus, evitare didicit. Sane enim, quo longius remota eſt veritas, eo difficilius inveſtigatur, & eo ſolicitius etiam omnia impedimenta removenda ſunt, ſi quis tuto & inoffenſo pede progredi velit. In hoc ipſo campo, noſtro præſertim ſeculo, deſudarunt præſtantisſimi Viri, in id præcipue incumbentes, ut philoſophiam ab inutilibus Scholaſticorum tricis purgarent, eandemque renovato quaſi ſplendore poſteritati commendarent. Et quemadmodum in omni ſcientiarum genere uberrimus hujus laboris fructus deprehenditur, ita præcipue in Jure Naturæ opera iſta utilis & tantum non neceſſaria eſt; tot enim tantisque ſcopulis atque obſtaculis, inde a primis initiis ad noſtra usque tempora a variis injectis, ſcatet, ut ſine horum remotione nemo facile ad altiorem hujus diſciplinæ cognitionem pervenire posſit. Agnoverunt id ipſum plurimi Juris Naturæ Doctores, imprimis optimus huius ſci-

entiæ restaurator Cel. PUFENDORFIUS; hinc etiam omni nisu id egerunt, ut detectis erroribus, Jus N. a facibus istis purgarent, & sic tractationem ipsam huius disciplinæ eo faciliorem redderent. Optime quoque successit labor, siquidem quam plurima istiusmodi obstacula ex via remota sunt, interim tamen non omnia plane, præsertim nostris demum temporibus mota, ita sunt discussa, ut non post largam illorum messem spicæ posteris colligendæ relictæ fuerint. Hinc ego quoque operam non inutiliter collocatam mihi videor, quando sub optimi Numinis auspicio, pro ingenii mei modulo in ipsum hocce argumentum inquirere, et MONITA ATQUE OBSERVATIONES CIRCA IUS NATURAE, hactenus a plurimis, si non omnibus J. N. Doctoribus neglectas, ad multarum autem rerum faciliorem solutionem non parum, ut spero, facientes, Eruditorum Censuræ subiicere, mecum constitui. Quæ disquisitio, ut cum veritatis agnitione & ex optato fructu a me suscipiatur, Deum, qui omnia bona largitur, supplex veneror. Abs te vero L. B. nihil magis rogito, quam ut hasce pagellas æquo animo perlegere, & ad controversias hactenus agitatas adplicare velis, sic enim & veritatem & usum illorum te percepturum plane confido. Ceterum vale, & vive ex voto, nobisque fave.

OBSER-

OBSERVATIONES ET MONITA
CIRCA IVS NATVRAE.

§. I.



Ntequam ad ipſum noſtræ tractationis argumentum propius accedamus, generaliora quædam Juris N. paucis attingere lubet, hæc enim toti noſtræ tractationi lucem haud exiguam affundere poterunt. Firmum autem & ſatis hactenus probatum eſſe putamus, habitum ſeu notitiam J. N. quatenus in homines pro ſtatu poſt lapſum cadit, eſſe SCIENTIAM PROPRIE DICTAM; (*a*) Certos namque omnino de eo nos reddit ipſa ſcientiæ definitio, qua deſcribitur, ut *clara, perſpicua, adæquata* & *vera rerum cognitio*, quæ partim *per ſimplicem perceptionem*, partim etiam *per demonſtrationem* in hominis intellectu gignitur. Jam vero nemo, niſi harum rerum plane ignarus, facile negaverit, dari in J. N. *principia clara, perſpicua, adæquata* & *vera*; itemque *concluſiones rite inde deductas certas ac veras eſſe*: quare etiam habitus aut notitia hujus diſciplinæ SCIENTIAE nomine utique digna erit. (*b*)

 §. II. Tan-

(*a*) Præ ceteris operoſe atque ſolide aſſertum hocce confirmavit & adverſus ejus impugnatores vindicavit laudatus PVFENDORFIVS *de Jure N. & Gentium* L. I. c. II. toto, imprimis autem §. 3.

(*b*) Hoc ipſum pluribus pertractare operæ pretium non videtur, præſertim cum multi J. N. Doctores otia hac in parte nobis fecerint, & ipſa quoque inſtituti noſtri ratio id prohibeat.

§. II.

Tanta autem non est hæc scientia, ut omnia objecta æquali evidentia eademque facilitate possit demonstrare. (c) Sic enim omnibus numeris absoluta & perfecta omnino dicenda esset, qualis tamen hominibus in hac imperfectissima vita non contingit, (d) quippe qui ex lumine naturæ superstite quædam tantummodo, eaque facilia & obvia magis exacte norunt, ita ut multa impervestigabilia & incomprehensibilia incognita relinquere necesse habeant; & quidem non tantum res fidei & mysteria, utpote ex sola Dei revelatione

(c) Testantur hac de re perpetua Juris N. Doctorum litigia, quæ, si evidentia & clara omnia essent, vel plane cessarent, vel non tanto animorum motu agitarentur, ita ut nulla pars alteri vel in minimis cedere velit, ex firma scilicet persuasione, assertiones suas esse evidentes ac veras. Quæ omnia non nisi maximam difficultatem produnt.

(d) Scilicet innata illa scientiæ cupiditas, quæ nos sine intermissione movet, exstimulat atque urget, satis demonstrat naturæ nostræ imperfectionem; est enim nihil aliud, quam desiderium explendi id, quod perfectioni naturæ deest. Id quippe desideramus, quod non habemus, id concupiscimus, quo indigemus, vel indigere nos putamus. Cum autem infinita sint, quibus caremus, infinita quoque sine modo expetimus, ita ut nihil amplius ad indigentiæ nostræ probationem requiri aut addi posse videatur. Ita *Auctor Dubiorum Juris Naturæ ad Generosissimum Dn.* *** non male differit, quanquam de cetero cum grano salis sit legendus, & non omnium hactenus consensum obtinuerit, hac tamen in parte non rejiciendus.

ne nota, (e) sed & naturalia, eaque magno satis numero vel in sola physica occurrentia (f).

§. III.

Immo si omnes philosophiæ partes percurramus, omniaque objecta, hypotheses, conclusiones & quicquid tandem in illis est quod a ratione nostra dependet, accuratius paulo observemus, nullam omnino scientiam adeo perfectam deprehendemus, cui nihil possit addi, vel in qua nihil aut correctione dignum, aut non dum satis exploratum &c. occurrat (g).

§. IV.

Imprimis vero, si jam speciatim ad Jus N. hactenus

(e) De his enim ratio plane nihil novit, utpote extra sphæram ejus posita. Vid. D. J. A. SCHMIDII diss. de ratione in M. T. captivata.

(f) Ipse IOH. CHRIST. STVRMIVS sedulus admodum rerum naturalium scrutator hac de re ita loquitur *in Phys. Erot. prælim. p. 5.* Naturæ adeo vasta & inexhausta est profunditas, & rerum naturalium scitu dignissimarum ingens adeo multitudo, ut omnis omnium seu præteritorum seu futurorum seculorum industria spem absolutæ omnibus numeris scientiæ, absque temeritatis & arrogantiæ nota, concipere nec possit nec debeat &c.

(g) Ea quippe est mortalium conditio, ut, si vel maxime in hoc vel illo studiorum genere desudaverint, præter omnium spem & opinionem, tertius meliora & solidiora doceat. De cujus rei veritate testari rursus potest physica, quæ hoc seculo imprimis caput suum efferre cœpit, & præstantissimorum naturæ scrutatorum observationibus ex tenebris extracta est, nihilominus tamen de die in diem majora capit incrementa. Et sic quoque cum reliquis scientiis & inspecie cum J. N. comparatum esse, nemini nisi illi, qui ea possidere, quibus tamen caret, falso sibi persuadet, erit obscurum.

nus dicta applicentur, maxima certe imperfectio reperitur, ut fere nullam post Physicam scientiam tam imperfectam & tot contradictionibus obnoxiam esse, (*h*) merito censeamus, cum neque in principiis, quae instar fontis & scaturiginis sunt, ex quo omnia deducuntur, omnes conveniant. (*i*)

§. V.

Causa hujus imperfectionis non in *objecto* quaerenda est, sed in *subjecto*. *Objectum* enim, i. e. jus divinum aut ipsae leges homini positae summa sapientia non solum dictitatae sunt, sed etiam firmum fundamentum in natura hominis, ejusque ad Deum & res alias relatione habent, (*k*) Deum nempe omnis sapientiae fontem & fundatorem ipsius naturae auctorem agnoscunt, ex quo etiam non nisi perfecta & naturae nostrae convenientia expectari possunt ac debent, prout & in aliis rebus hanc suam sapientiam luculentissime demonstravit. Cum itaque in objecto non inveniamus quicquam, cui tanquam causae imperfectio illa adscribi possit,

(*h*) Innumera esse in Disciplina Juris naturae, quae pro expeditis, claris, certis & veris habentur, quibus tamen nihil obscurius, incertius, difficilius fingi possit, solide demonstravit cit. *Anon. in praef.* §. 15.

(*i*) Notior est haec de principiis J. N. primis controversia, quam ut pluribus his immorari necesse habeamus, cf. vero PUF. *in Eride scandica c. IV. toto.*

(*k*) Hinc quoque nullum est dubium, quin omnes illae imperfectiones, quae a corruptione intellectus nostri pendent (in rebus sc. naturalibus) longe fuissent remotae, si Protoplasti nostri, & nos cum illis, in statu illo beato, quo a Deo conditi fuerant, permansissent. Intellectus enim divino lumine collustratus prompte tunc assequi potuisset.

ſit, hinc *ad ſubjectum* nobis recurrendum eſt, ad intellectum ſc. hominis, quem maxime depravatum invenimus, & adeo corruptum, (*l*) ut non tantum plurima objecta non penetret, ſed & de multis perverſum judicium & minus rei conſentaneum ferat, uti in ceteris diſciplinis ita & in J. N. Quare non immerito cauſam quoque iſtius imperfectionis in illo hærere contendimus.

§. VI.

Et hæc ipſa Intellectus noſtri corruptio in cauſa eſt, cur nemo omnia, quæ ad hominis naturam pertinent, penitiſſime & accuratiſſime perſpiciat. Non nego equidem, intellectum noſtrum probe ſubactum atque excultum multa, immo plurima, quæ in homine ſunt, ſcire atque cognoſcere; quæritur autem, an OMNIA plane, & quidem non ſuperficiarie, ſed exacte atque accurate penetret, id quod omnino negamus: Etenim ne corpus quidem ſecundum omnes partes, in eo deprehendendas ita accurate novit, ut uſum quoque, ad quem a Deo datæ ſunt, invenire ſemper poſſet. (*m*)

 §. VII.

(*l*) Ipſam hanc mentis corruptionem Ethnici etiam nonnulli v. gr. CICERO, SOCRATES &c. una cum modernis ſanioribus Philoſophis agnoverunt, qui poſteriores etiam idem per omnes tres mentis operationes in Logicis & moralibus demonſtrant.

(*m*) *Anatomia* hac de re nos convincit, quippe quæ multas quidem & potiores corporis partes hactenus indagavit, variæ autem adhuc reſtant, vel plane incognitæ, vel certe non quoad finem notæ. Immo uſus multarum corporis partium ſi non plane latet, tamen probabilibus ſaltem rationibus nititur. Confirmat hoc vel unica *cerebri fabrica.* Quis enim Anatomicorum detexit hactenus fun-

§. VII.

Cum itaque tanta intellectus infirmitas circa ea, quæ in corpore ſunt, reperiatur, quanta quæſo erit in ipſis operandi facultatibus evolvendis, quæ eo obſcuriores ſunt, quo magis a conceptu materiali recedunt (*n*) Hæc cum ita ſint, non video, quomodo cum veritatis ſpecie aſſeri poſſit: totam noſtram naturam, etiam qua operandi facultates, nobis exacte eſſe notam. Ut taceam

functionem quarundam illius partium, quæ a figura diverſimode, obſcoenis etiam vocabulis, denominantur. Talis eſt *protuberantia annularis* WILLISII, *eminentiæ olivares* VIEUSSENII, *calamus ſcriptorius*, *glandula pinealis*, *nates* & *ventriculi cerebri* &c. Hinc ipſe Celeberr. HEISTERUS *in Comp. Anat. p. m. 79.* profitetur: *uſum ſpecialem unius cujusque partis cerebri eſſe incognitum, vel certe dubium.* Ne dicam nunc de aliis varii generis *glandulis*, de *mammis* in viris, & quæ ſunt alia, quorum uſum neſcimus, & functiones, quas Anatomici illis adſcribunt, nævis ſuis non omnino carent. Sic quoque *Botanica* infinita herbarum & fruticum tradit nomina, quæ vel ab exterarum gentium regionibus deferuntur, vel etiam noſtris in terris creſcunt, quarum tamen uſus aut plane incognitus eſt, aut minimum nulla experientia probatus. *Amaranthi* elegantiſſimus color, *Tuliparum* venuſta varietas, *Tageti Indici* amœna pictura, aliorumque florum ſpectata elegantia oculos quidem delectat, aut nares grato odore recreat, ſed vi medicamentoſa Philiatris ſe non commendat. Et ita in aliis quoque ſcientiis comparatum eſt, ut merito exclamare neceſſe habeamus: o! quantum eſt quod neſcimus, quod ignorant & ſinguli & omnes.

(*n*) Argumentationem hanc illi facilius admittent, qui, quantum difficultatis in conceptibus abſtractivis & rebus immaterialibus perſcrutandis reperiatur, experti ſunt.

taceam ipsum naturæ conceptum in plurimis, qui de natura loquuntur, ita confusum atque obscurum esse, ut vel plane nullam, vel itidem obscuram & sibi ipsis non satis cognitam ejus descriptionem proferant. (o)

§. VIII.

Licet vero, uti hactenus ostensum est, tot imperfectiones in J. N. reperiantur, certum tamen omnino atque firmum manet, cognitionem nostram circa J. N. satis amplam satisque accuratam esse, ita, ut solers ejusdem cultor neque materia neque solidis fundamentis in variis ejusdem partibus destituatur. Sed utrum ea soliditas in omnibus illis locum habeat, quae objecta J. N. constituunt, licet non ab omnibus ad id referantur, hoc est quod jam antea non sine ratione negavimus. Hinc etiam si non certum, probabile tamen esse censemus, plura J. N. nos cognoscere quoad τὸ ὅτι, quam quoad τὸ διότι; h. e. plurima quidem in J. N. occurrere, quæ vel bona vel mala, honesta aut turpia &c. a nobis considerantur, ita tamen, ut ratio sufficiens, cur ita considerari debeant, reddi nequeat, etiam ab illis, qui aliâs harum rerum non sunt ignari: id quod colligi posse videtur ex iis rebus, quas plurimæ gentes cultiores, nullis commerciis inter se junctæ, naturaliter honestas aut turpes judicant, neque tamen argumentis

 apo-

(o) Naturæ vocabulum tum apud Philosophos, tum etiam apud Theologos diversas habere significationes, res notissima est. Videri autem ea de re possunt IOH. CHRIST. STVRMIVS in *Diss. de Naturæ agentis idolo*, quæ continetur *Tom. II. Philosophiæ Eclecticæ* p. 359. ROBERT BOYLE *in disquisitione de ipsa Natura*, & Theologi passim; qui tamen *naturam* opponunt *gratiæ*, & ita alium plane conceptum formant de Natura, quam quidem in Philosophicis & in specie in J. N. fieri solet.

apodicticis ac irrefragabilibus id ipsum demonstrare valent (p) v. gr. ***de incestu*** (q) ***Sodomia*** (r) ***Polygamia*** (s) ***concubinatu*** (t) &c.

§. IX.

(p) Hic tamen non id volo, ac si J.N. recte describatur *per id, quod natura omnia animalia docuit*, aut quod sit nihil aliud, quam *naturalis instinctus & ratio non dativa aut nativa, suadens honesta & dissuadens contraria;* Lex enim & naturalis instinctus, qui etiam in brutis invenitur, differunt, & nascenti homini actuales propositiones de agendis & omittendis non insunt. Illud autem absurdum plane videtur, Jus naturæ suadere honesta, & disuadere contraria; nam 1) objecta J. N. non sunt absolute honesta aut turpia, utpote propter legem talia. 2) Contra naturam Juris naturæ est suadere & disuadere, siquidem legis essentiale attributum est præcipere & vetare, quod recte observat GROTIUS de *J. B. & P. L. I. §. 10.* quanquam id recte in Grotio reprehendatur, quod censeat, moralem turpitudinem & necessitatem inesse actionibus quibusdam, etiam abstrahendo a præceptione divina. Fundamentum igitur turpitudinis in incestu, Sodomia, &c. in naturali pudore & insita aversatione atque fuga ejusmodi commixtionis quærendum esse, præclare ostendit VELTHUYSIUS, & ex eo PUFENDORFIUS L. I. c. II. §. 6.; quamvis enim, (notatus a IOH. MUSÆO, *Diss. de conjugio* §. *106.*) dissentire videatur, expressis tamen verbis consentit *specim. controvers. c. IV. §. 21.* Cum vero etiam in moralibus quædam contra naturam sint, quæ demonstrari luculenter nequeunt, nec ab illis dissentio, qui in hoc, quod nulla plane ratio hac de re dari possit, fundamentum quærunt. v. HOCHSTETTERI *coll.* PUF. *p. 406. §. 14.*

(q) Incestum, imprimis lineæ ascendentis & descendentis, i.e. matrimonia inter parentes & liberos &c. inita, miro apud plerosque consensu confirmatur, Naturali juri contraria esse. Sunt vero etiam nonnulli ex recentioribus J. N. Do-

qui

ctoribus, qui Inceſtum Juri naturæ non contrariari contendunt,& hinc ad aliam legem divinam provocant. Præter enim ea, quæ adverſus naturalem humanorum affectuum abhorrentiam, ad quam nonnulli hac in re confugiunt; Plutarchi ſententiam de latius ſpargendis amicitiis; Socratis diſparitatem ætatis, & confuſionem vocabulorum, in neceſſitudinibus deſcribendis adhibendorum, quam alii crepant itemque communionem ſanguinis excipiunt, &c. hoc quoque fundamentum, quod in reverentiæ debito & pudore naturali plurimi ponunt, deſtruere annituntur. Ita vero id deſtructum eunt, ut & reverentiam & pudorem ſeorſim ſpectent, ubi intuitu ſolius reverentiæ non abſurdum ipſis videtur eſſe, matrem cum filio ſui Juris jungi, cum neque repugnet, maritum uxori ob virtutem, ſapientiam aut nobilitatem, reverentiam exhibere. Hoc declarant exemplo ex conjugio Principis cum ſubdita, aut Reginæ cum ſubdito, etſi utrobique uxor & maritus characterem ſubditorum retineant. Quibus addunt: reverentiam illam Parentes liberis adultis remittere poſſe, & ſi vel maxime hoc non urgere velint, tamen v. g. Matrem jus illud exigendi reverentiam, quod jam tanquam mater habet, in pacto conjugali cum filio etiam in poſterum ſibi reſervare poſſe. Intuitu vero pudoris, ſeparatim ſpectati, videtur illis, ſequi, nulla plane conjugia admittenda eſſe, cum omnes homines cauſam pudoris in ſe deprehendant. Quod ſi tandem reverentiam cum pudore conjungunt, recurrunt ad prius, quod ſc. parentes reverentiam illam poſſint remittere, qua ceſſante, pudorem etiam tolli exiſtimant. *Sed non deſunt, quæ adverſus iſta reponi poſſunt.* Primo enim male agunt, quod reverentiam a pudore ſecernunt, & de qualibet parte ſeorſim loquuntur, cum reverentia una cum pudore fundamentum aliorum conſtituat, ita, ut unum ab altero ſeparari nequeat. Et ſic unico quaſi ictu totum illorum argumentum infringi poſſet. Præſtat autem quam libet ejus partem ſeorſim examinare. Reverentiam itaque quod attinet, ipſis quidem non abſurdum videtur, matrem cum

filio jungi, aliis vero contrarium plane non tantum videtur, ſed tanquam certum conſtat, quæ etiam certitudo neque per rationem additam, neque per exemplum allatum ullatenus infirmatur. Longe alia ſcilicet reverentia eſt liberorum erga parentes, quam quidem ea, quam vel maritus uxori ob ſapientiam &c., vel etiam conjux Principis aut Reginæ, ſubditus licet, eidem exhibet. Illa enim, quæ in liberis cerniturnatur, à natura ipſis ineſt, cum hæc, ſubditorum nempe, mediante facto humano orta ſit, ex qua diverſa origine, diverſitas etiam reverentiæ provenit, eaque non levis; quemadmodum id ipſum ex obſervatione accuratiori innoteſcit; reverentia enim ſubditorum ut plurimum tantum eſt externa, cum contra liberorum reverentia interna ſimul ſit & altos in corde radices alat, quæ etiam non extirpatur, etiamſi parentes hoc vel iſto grandi quoque flagitio indignos hujus reverentiæ ſeſe reddiderint; ſuppono autem liberos bene educatos. Inde vero ſimul reſponſio ad objectionem iſtam de remiſſibili reverentia petenda eſt. Si enim illa a natura eſt, & tam alta mente repoſta manet, ſequitur neceſſario, eam non tam facile ab ipſis liberis eradicari, tantum abeſt, ut parentes eam remittere poſſint, quippe qui in naturam liberorum agere nequeunt, neque ab ipſorum voluntate ſolum hæc reverentia dependet, ſed, pariter ut ceteræ mentis & voluntatis imprimis, affectiones naturales, a natura aut potius autore naturæ proficiſcuntur. Immo ſi hæc reverentia poſſet remitti, ſequeretur amorem etiam remitti poſſe, & odium quoque; eadem enim ubique eſt ratio; quod vero eſt abſurdum. Quod denique attinet reſervationem reverentiæ in pacto conjugali, ea nititur hypotheſi: *reverentiam marito a conjuge ex lege non deberi.* Sed, præterquam quod hypotheſis illa nondum ſit demonſtrata & difficultatibus quamplurimis obnoxia maneat, etiamſi id concedamus, ſimul tamen clarum erit pactum eſſe inter æquales, quorum nulla pars præ altera prærogativam habet, hinc neque mater, uxor, jure reverentiam reſervare ſibi poteſt a marito filio, præſertim cum, poſito tali caſu

mater,

mater, si non semper, ut plurimum tamen, primûm hocce conjugium expetere nobis videatur. Pudorem quod attinet, repetendum, a reverentia non posse eum separari, & si vel maxime fiat, nequaquam tamen consequentia illa, qua sc. omnes homines hoc intuitu a conjugio arceantur, procedit, dantur enim gradus uti amoris & ceterarum affectionum mentis, ita & pudoris, hinc etiam hæc consequentia: in hoc vel isto casu pudor non impedit factum, ergo nec in omnibus, eluditur. Et sic etiam, quando conjunctim ab ipsis sumuntur pudor atque reverentia, recurrendum est ad priorem responsionem de remissibilitate reverentiæ, cum huc & ipsi recurrant. Quod si itaque in una incestus specie demonstratum sit pertinere illam ad jus naturæ, ceteræ quoque illuc referendæ erunt, quod enim valet in uno, valet etiam in altero.

(r) Sodomiam Juri N. adversari majori adhuc consensu approbatur, idque hanc præsertim ob causam, quod membra in hoc actu plane contra naturam applicentur, & pudor naturalis una cum dignitate hominis ei refragetur. Nec tamen hic quoque desunt, qui hoc in dubium vocant, & nefandum quidem crimen esse concedunt, non vero in J. N. sed lege Divina universali prohibitum esse contendunt. Rationes quas afferunt, hæ potissimum sunt: 1) usum membrorum contra vel præter naturam non semper tale peccatum esse grande: id ut probent, provocant ad clisteres, vomitum & manus, vice linguæ in casu necessitatis usurpatos. 2) Adversus pudorem & dignitatem hominis excipiunt: multa peti concedenda, quæ sunt in principio, hinc demonstrationis trutinam non sustinere. *Tantæ autem non sunt hæ exceptiones, ut a suo asserto ideo dimoveri possent alii.* Primo enim confundunt id, quod præter & quod contra naturam fit, quod exempla allata ostendunt: clisteres enim & vomitus, præsertim per medicamenta excitatus, adeo non sunt contra naturam, ut potius ad conservandam naturam & sanitatem corporis adhibeantur, & hinc naturæ convenientes. Nec obstat, quod via ordinaria non ejiciatur materia peccans,

cans, aut intromittatur medicina; pro conditione enim morbi remedium etiam præſcribitur, interim non ſtaſtatim hoc eſt contra naturam. Ergo hæcce huc plane non quadrant, ne quid dicam de uſu manuum ad exprimenda animi ſenſa in defectu linguæ, fit enim & hoc, uti priora, in caſu tantum neceſſitatis, & ceteris etiam actionibus & facultatibus non eſt contrarium, quod quidem in Sodomia fit, ubi conjunctio v. gr. viri cum beſtia tum propter commixtionem corporum plane diverſarum naturarum, tum propter ſeminis ad formandum hominem apti nefandam intromiſſionem in ventrem beſtiæ, ubi finis, ſc. ſobolis procreatio non attingitur, non niſi naturæ contraria eſt. Quod vero dicunt intuitu dignitatis & pudoris præſupponi, quæ probanda demum ſint, & hinc juſtam demonſtrationem non oriri; fatemur quidem perfectam demonſtrationem non adeſſe, ſufficit autem aſſertionem receptam nondum eſſe everſam per argumenta contraria.

(s) Polygamiam lege tantummodo poſitiva prohibitam eſſe & J. N. non contrariari, olim jam aſſertum, & hodienum a nonnullis non ſine magno aliorum applauſu adſtructum reperitur, ex his præcipue rationibus, & *a priori* quidem: polygamiam virilem ex lege N. non poſſe impugnari, quia ſocialitas humani generis, aut generatio ſobolis non impediatur per eandem, quin potius rationi ſibi relictæ eandem multum facere videri ad multiplicationem generis humani; quibus addunt *a poſteriore* argumentum, deſumtum a diſpenſatione divina, qua Deus in V.T. populo Judaico, vel certe Patribus eandem permiſit; quin & inter beneficia Davidi præſtita recenſeri, quod ipſi plures uxores dederit; Jam vero Deum ea, quæ eſſentiam hominis turbant, ac J. N. prohibita ſunt, minime inter beneficia recenſurum. *Ad hæc reponitur, quoad primum:* Nondum omnes J. N. Doctores ſocialitatem tanquam principium primum agnoſcunt. Quod ſi vero etiam id concedatur, omnino polygamiam contra ſocialitatem domeſticam præcipue eſſe oſtenderunt. Generatio-

§. IX.

Ex his diversis diversorum opinionibus, quarum quælibet suis fundamentis, licet non satis firmis, nititur, maximum assertioni nostræ pondus accedere videtur, qua meris probabilitatibus plurimas in J. N. positiones absolvi dicimus (u). Quod si enim verum est, dari istiusmodi casus, qui a nonnullis non sine insigni probabilitate ad J. N. referuntur, ab aliis vero eadem

rationem sobolis autem, præcipue in viris, hoc modo impediri, inde probari posse videtur, quia si omnes quatuor aut plures uxores adsciscere vellent, vix dimidia pars virorum uxores acciperet, cum non ostendi & probari possit, plures fœminas dari quam viros. *Quod rationem a posteriori attinet*, distinguendum erit inter *dispensationem* & *tolerantiam*, qua de re videatur celeberrimus & de Ecclesia nostra optime meritus Theologus, D. J. G. BAIERUS *in Diss. de discrimine dispensationis & tolerantiæ, Jenæ 1688. habita.* Plura his addere non est opus.

(t) de Concubinatu hodienum *an sit contra Jus Naturæ, nec ne*, disputari, res notissima est, sic etiam rationes pro & contra prolatæ omnibus sunt cognitæ, cum scripta hac de re extantia, recentissima præsertim, omnium manibus terantur, & hinc non opus esse videtur, hisce pluribus immorari, cum idem in hac quoque, uti in aliis J. N. quæstionibus controversis quam plurimis, observetur.

(u) Eam nempe ob causam exempla ista afferre, & paulo solicitius in argumenta invicem opposita inquirere placuit; non ut unam sententiam tanquam demonstrative veram, præ altera, minus certa, amplectendam esse suaderemus; hoc namque à scopo nostro plane alienum & ei potius contrarium esset: sed ut per hanc collationem de difficultatibus, utrinque occurrentibus, eo melius informaremur, & ita etiam ad imbecillitatis nostræ agnitionem eo proniores redderemur.

dem probabilitate ex J. N. exterminantur, nihil aliud inde ſequitur, quam cognitionem noſtram circa J. N. quoque maxime imperfectam eſſe, ita, ut omnia ejusdem objecta accurate cognoſcere & dijudicare non valeamus. (x)

§. X.

Nimis ergo audaces merito illi dicendi ſunt, qui, quæ ex Lumine naturæ, aut principiis Juris naturæ ſumma cum evidentia demonſtrare nequeunt, non eſſe J. N. objecta concludunt, exiſtimantes ſcilicet, ad Juris naturæ objecta requiri, ut ratione penitus aſſequi poſſint, (y) & hinc etiam quicquid ratione evidenter demonſtrari nequit, id ad Jus divinum poſitivum referunt. Perinde ut phyſici quidam Carteſiani, qui illa corporum naturalium phænomena, quorum ex hypotheſi ſua rationes evidentes reddere non poſſunt, in dubium vocant & negant (z).

§. XI.

(x) Neque alicujus momenti videtur objectio, quæ hic moveri poſſet, ſc. hoc modo nihil vel parum ex Jure naturæ decidi poſſe? Par namque etiam in ceteris eſt ratio; quamcunque enim ſententiam ex duobus iſtis accipias, ſemper tamen dubia, ex altera parte mota, judicium, forſan jam formatum, ſi non tollere, ſuſpectum tamen, i. e. æque incertum reddere poterunt: & ſic demum ſequitur, nonnulla probabili tantum ratione nos aſſequi; qua de re tamen in ſequentibus.

(y) fit hoc non modo ab illis, qui talem, quam nos adſtruximus, imperfectionem non agnoſcunt, ſed ab iis quoque, qui in aliis locis hanc ipſam mentis noſtræ infirmitatem argumentis ſolidis admodum probatum iverunt, hac vero in parte de ea ne quidem cogitant.

(z) Fecit hoc imprimis ANT. LE GRAND, qui partim *in inſtitutionibus Philoſ.* ſecundum principia Carteſii adornatis, par-

§. XI.

Utrumque perversam ingeniorum arrogantiam sapit & superbiam, qua homines, ex pravo φιλαυτίας vitio, omnia se penetrare posse sibi persuadent, atque hinc absolutam perfectionem scientiæ ipsis inesse credunt, eamque mensuram & arbitram omnis veritatis constituunt.

§. XII.

Quia igitur hactenus prolata sua luce radiant, non video, cur non etiam in Scientia Juris Naturæ, prouti in aliis disciplinis fieri solet, (*a*) discrimen utique statui possit inter ea, *quæ absoluta certitudine & evidentia* cognoscimus ac demonstramus, (*b*) atque inter ea, *quæ probabili saltem conjectura assequimur.* (*c*) Ita tamen, ut hæc posteriora ab objecto nostræ scientiæ minime excludamus. (*d*)

 §. XIII.

partim etiam in *Historia Naturæ*, de occultis præcipue qualitatibus satyrico admodum modo loquitur, ex nulla alia causa, quam quia rationes ex sua hypothesi claras dare nequit.

(*a*) Exempli loco nobis denuo sit physica, de cujus objecti cognoscendi multiplici difficultate supra jam ad §. 3. ipsum Sturmium testem adduximus.

(*b*) talia sunt omnia illa, quæ ex convenientia vel disconvenientia cum nostra natura evidenter demonstrari possunt. Dari vero istiusmodi evidentiam ac certitudinem in aliquibus J. N. partibus, supra quoque adstruximus, cum scientiæ nomen ipsi vindicaremus, in §. 1.

(*c*) Quo spectant, quæ supra de Incestu, polygamia, sodomia &c. dicta sunt.

(*d*) Hoc enim nunquam in mentem nobis venit, ut ea, quæ certe & apodictice non possunt determinari, in quantum conveniant vel non conveniant, ab objecto J. N. vellemus

§. XIII.

Hic vero ſcientiæ noſtræ naturalis defectus omnino per Jus divinum, in ſcripturis S. revelatum, aliquo modo reſarcitur, (e) quando Jus divinum ad J. N. ſcientiam locupletandam non inutiliter adhibetur; (f) ſine quo

mus excludere; quod quidem nonnulli faciunt, eo ipſo tamen limites J. N. nimium quantum coarctant. Immo hoc ipſum eſt, quod per totam hanc diſſertationem infringere conamur.

(e) Non quidem ita, ut ea, quæ ex J. N. per noſtram imperfectionem non poſſunt decidi & demonſtrari, ſtatim ad Jus divinum tanquam proprium fontem, ex quo deciſio peti debeat, referenda eſſe, doceamus; hoc enim ſupra jam rejecimus; ſed hoc tantum volumus, Jus divinum in ſcripturis revelatum multa tradere, quæ ipſi Juri naturæ lucem affundunt, & caſum, ex J. N. non ſine contradictione decidendum, plane indubium reddere.

(f) Pertinent huc pleraque *Decalogi præcepta*, hunc quoque in finem tradita, ut eo clarioribus appareret documentis, Deum non poſſe non jubere, quæ rectæ rationi conveniunt, aut prohibere, quæ eidem diſconveniunt. Sicuti vero publicatio non mutat Jus, niſi quatenus aliquid addit; ita etiam eſſentiam J. N. non tollit, quod multa ejus præcepta in codice S. repetita inveniantur, cum & in legibus noſtris civilibus multa contineantur, quæ ſunt Juris divini & naturalis vid. Cel. J. F. SCHNEIDERI Diſſ. *de finibus Jurisprudentiæ Naturalis regendis.* Hoc tamen conceſſo, non opus erit omnes leges naturales ex revelatione probare; quamdiu enim in Lum. N. ſolidum earum fundamendum reperitur, tamdiu etiam ad illud provocandum, ne fines ab ipſo divino Numine conſtitutas confundamus. Et ſic omnino differentiam J. N. a poſitivo admittimus, quæ ab *objecto*, *medio cognoſcendi*, *ratione modi obligandi* & *durationis* peti ſolet. Confer hic Præcellen-

quo fonte etiam forte omnes J. N. Doctores non minus qnam prisci Gentium Philosophi cæcutirent. (g)

§. XIV.

Vt autem modo dicta eo clarius innotescant, ita colligimus: Ubi in Scripturis S. Deus Legislator quascunque præceptorum aut interdictorum rationes addit, ***ex indole actionum petitas***, (h) ibi indicium facere videtur, ***præcepta ea esse Juris naturæ.*** Nam leges mere positivæ non tam fundantur in natura objectorum suorum, quam in libera Legislatoris voluntate. (i)

 §. XV.

cellentissimi DN. PRAESIDIS, Patroni atque fautoris mei plurimum colendi, nuper habitam Diss. *An liceat brutorum corpora mutilare*, qua etiam officia brutis præstanda ex lumine tum rationis, tum etiam revelationis derivavit. Revelatio ergo ad complendum J. N. defectum in subsidium vocanda est.

(g) Videmus id ipsum in comparatione Philosophorum priscorum ex Gentilibus cum nostri ævi Philosophis, qui posteriores in omnibus fere pleniorem & solidiorem cognitionem possident, quo nulli Gentilium pervenerunt, cum tamen neque *ratio*, neque *diligentia*, neque *adminicula naturalia eo perveniendi* ipsis defuerint.

(h) in quibusdam gradibus prohibitis id fit Lev. XVIII. vs. 7. 8. 10. 12. 13. 15. 16. 17. itemque in Sodomia ibid. vs. 22. 23. &c.

(i) de hoc posteriori nemo fere est, qui dubitet. Prius autem quod concernit, a pluribus id ipsum negatur. Nos vero probamus exinde, quia 1) in ceteris legis positivæ præceptis nulla istiusmodi causa additur, neque etiam in mere positivis opus id esse in thesi adstruximus.

2) In

§. XV.

Præmiſſis hisce præmittendis ſequentem damus J. N. definitionem: (*k*) Jus Naturæ ſtricte ſic dictum (*l*) eſt ſcientia ſui generis, reſpe-

2) In eo eſt Deus Lev. XVIII., ut ipſas poſitivas leges Iſraëlitis præſcribat, quando itaque dicit: hoc vel iſtud ne facies; cum addita ratione, hæc ipſa ratio reſpectum habet ad aliud jus, ipſis jam notum: hoc autem jus, ad quod provocat, non poteſt eſſe poſitivum, quia id modo tradit, ergo Jus Naturæ erit. Sic cum Deus dicit v. gr. vſ. 7. Nuditatem Patris tui aut Matris tuæ ne retegito, *quia mater tua eſt*, ſenſus horum verborum eſt: ipſa ſana ratio & pudor naturalis tibi ſuppeditabit, hoc factum eſſe malum. Imprimis vero interdictum de Sodomia, quod Lev. XVIII, 22. & 23. extat, id clariſſime docet; de priori enim ſpecie inquit: תּוֹעֵבָה הוּא hoc eſt abominatio, & poſterius vocat תֶּבֶל confuſionem: ita enim indicat omnibus ſanioris judicii hominibus iſtiusmodi factum abominabile & deteſtabile videri, quod ſimul confundat, quæ ipſa natura ſeparet; quemadmodum etiam Paulus ad Rom. I, 27. nefandum hocce factum uſui naturali, i. e. Juri naturæ convenienti, opponit.

(*k*) quot ſyſtemata J. N. tot peculiares invenies definitiones, pauciſſimas vero ita comparatas, ut diviſum exhauriant. Qualis autem hæc noſtra ſit, ipſe L. B. judicabit.


(*l*) quatenus ſc. ſolas *juſti* regulas complectitur, & latiorem ejus ambitum ad regulas *honeſti*, *decori* & *prudentiæ* excludit.

ſpectu noſtri haud omnibus numeris abſoluta (*m*), quæ ductu luminis naturæ, (*n*) propter intellectus per lapſum depravationem, partim abſoluta certitudine, partim probabili notitia (*o*) cognoſcenda tradit ea omnia, quæ cum natura hominis ex voluntate Dei conveniunt vel non conveniunt, ut ſciat homo, quid ipſi ſit faciendum vel omittendum, ad felicitatem ſuam promovendam.

(*m*) quia non omnia objecta æquali evidentia & facilitate demonſtrari queunt.

(*n*) non tamen penitus excluſo lumine revelationis, juxta §. 13.

(*o*) ita tamen, ut ipſæ leges, ſumma ſapientia in naturam hominis poſitæ, maneant perfectæ.



PRÆ-

PRÆSTANTISSIMO AVTORI
HVIVS DISSERTATIONIS

IOH. GVILIELMVS BAIERVS D.

S. D.

QVantopere Tuam, DIETERICE optime, indolem, mores, studia, diligam, ipso quidem rerum, quam verborum, testimonio malim demonstrare. Interim quoties Tui penes alios mentionem fieri contingit, silere non possum, quæ in Te quotidie mihi observare licet ingenii virtutisque documenta, quæ mihi certe consuetudinem tuam sive in mensa, sive pro cathedra, multo reddidere conjunctissimam. Quare nunc etiam editum abs Te laudabilis industriæ & doctrinæ specimen non possum non pia prosequi gratulatione, Deum precatus, ut egregia, quæ in Te collocavit, gratiæ suæ dona, conservet, augeat, provehat, ac suo tempore amplissimis præmiis coronet.

DOCTISSIMO DOMINO
DISSERTATIONIS HVIVS AVTORI

S. P. D.

PRAESES.

QVam Affinis Tuus, Vir pl. reverendus J. J. HÆBERLINVS, cujus illibata etiam nunc amici fides perfistit, de Tua præstantia mihi fecit spem, hanc ego nunc amplissime eo imprimis die impletam video, quo

quo cathedram mecum ad defendendam vere Tuam dissertationem conscendis, Tuamque disserendi promtitudinem, qua sæpius declamando, disputando aliisque speciminibus non contemnendum applausum obtinuisti, de novo quasi conspiciendam præbes. Non dubium est, quin Patronis & studiorum tuorum promotoribus, quibus offers hoc specimen Academicum, probaturus sis industriæ Tuæ luculentum testimonium. Quapropter, uti PATRIAE Tuæ, a priscis seculis inclytæ, ita Matri charissimæ, sanguine junctis, aliisque bene Tibi cupientibus de cive, filio, cognato & amico, bono, morigero & omni laude dignissimo, ex animo gratulor, Deumque veneror, ut imposterum honestos Tuos conatus gratia sua fortunet, & felicissimo Tibique exoptato eventu coronet. Cæterum si quid in me erit officii, quod equidem exiguum esse intelligo, id quovis tempore libenter faciam, ut quantum Tibi, imprimis Hæberlino meo dilecto, cui optima quævis cum plurima salute sincera mente apprecor, debeo, reipsa demonstrem. Vale. Scribebam in museo raptim die III. Nonarum Decembris A. O. R. cIↃ IↃccxx.

SAcra indefesso volvis, DIETERICE, labore,
Jam juvat ingenuas & coluisse Deas.
Perge, decus juvenum, virtutis & artis alumne,
Sic Tibi Pierides præmia digna parant.

Hisce paucis Nobilissimo atque Doctissimo DOMINO RESPONDENTI, *Fautori honoratissimo, gratulatur*

P. GERIKE, Med. Cand. *Opponens.*

WAs vormahls Puffendorff / was nachdem Thomas lehret ;
Das wird durch Deinen Fleiß / Herr Dieterich / vermehret :
Fahr' fort und werde einst / wie jene seyn bekannt ;
So bleibet Dir der Ruhm / die Frucht dem Vatterland.

Also wolte seinem Wehrtesten Herrn Vetter und Landsmann bey wohlaufgesetzter und rühmlichst gehaltenen disputation gratuliren

Dessen ergebenster Freund
und Diener

Jo. Stengel / Philos. Mag.

NOn calamus , non ingenium , sed plenus amore
Affectus scribit suavia verba TIBI.

Hisce
Tibi Auctori,
MI OPTIME!
applaudit Tuus

I. G. S. *Oppon.*

Sic-

SIccine nunc cathedram, *Theodore*, ascendere pergis,
Doctrinæque iterum das documenta *Tua?*
Scilicet humanæ quem cœlestisque Sophiæ
Cultura excellens omnibus ipsa probat.
Hinc plaudens voveo: Perge, *o Doctissime*, perge;
Nam *Dietricorum* Nomina calcar habes.

Hacce Clarissimo atque Eruditissimo Domino Respondenti Autori, *Amico Æstumatissimo, de edito egregio doctrinæ specimine Academico gratulabundus adjecit*

IOH. CAROLVS APINVS, Hohenloico-Franc. SS. Theol. Stud. *Opponens.*

PVlpita cùm scandas iniens certamina docta,
Gratulor hinc toto pectore, Amice, Tibi
Pergito nunc porro doctos producere fœtus,
Laurea sicque Tibi tempore serta paras.

Hæc pauca Clarissimo atque Doctissimo Domino Respondenti Autori, Amico integerrimo, gratulabundo scripsit animo

I. M. Frauendiener / Med. Stud.

NVnc rursus cathedram scansurus, AMICE, probatum
Quam sis virtutis captus amore piæ:
Hoc sistis specimen doctum pariterque politum,
Quod famæ & decoris præmia digna dabit.
Gratulor ergo TIBI, cœptis DEVS annuat almus,
Vivat honos, faustus terque quaterque sies.

Ita NOBILISSIMI ac DOCTISSIMI DOMINI AVCTORIS RESPONSVRI DOCTIS AVSIBVS succinit

GEORGIVS LEONHARDVS RECK, Francus, SS. Theol. Cultor.

AOnidum *rursus subeas cum templa sacrata,*
Calliope *læto concinit ore melos:*
Macte! viam, PROAVVS *famâ super æthera notus*
Quam studio magno pressit, eamque preme;
Et solvam merito Tibi præmia justa laborum,
Præmia, quæ nullo sunt peritura die.



Hisce Nobilissimo clareque docto *Dissertationis hujus Autori Resp.* ob specimen hoc egregie editum accinere, affectum propensum testari, simulque fausta semper affluentia apprecari voluit

CHRISTIANVS FRIDERICVS Cramer/ SS. Theol. Stud.

